



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Libellus supplex Sanctimonialium a Visitatione B. V. M. ad Summum
Pontificem Benedictum XIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

LIBELLUS SUPPLEX

*Sanctimonialium a Visitatione B. V. M. dictarum ad
Summum Pontificem BENEDICTUM XIII.*

BEATISSIME PATER,

DIvinæ gloriæ promovendæ zelus, quo incenditur SANCTITAS VESTRA, facit ut magna cum fiducia ad ipsam accedamus, & ab ipsa supplices petamus quod maximum pietati tum ornamentum, tum incrementum afferet. Fervet in Monasteriis nostris SACRATISSIMI CORDIS JESU solemnitas. Uni e Sororibus nostris hujusce Monasterii Professæ manifestavit olim Dominus quantum sibi placeret religiosus hic cultus: nec sine ingenti gaudio hunc videmus in orbem fere totum disseminari, quemadmodum ipsa divino afflata Numine prænuñciaverat. Habet hæc solemnitas Prælatorum gratiam, in tantum, ut sibi eam nonnulli suas in Ecclesias, etiam cum voto, & percepti fructu voti, transfulerint. Habet studia Populorum, qui eam plurimis in locis omni devotionis fervore celebrant. Habet munera Summorum Pontificum SANCTITATIS VESTRÆ prædecessorum, qui plenarias Indulgentias e thesauro Ecclesiæ excerptas larga manu benigne concesserunt. Verum ut in dies augeatur magis, atque ut fervetur idem ubique in hoc festo celebrando ritus, ad SANCTITATIS VESTRÆ pedes provolutæ petimus suppli-

ces, ut dignetur oblatam Missam una cum officio SACRATISSIMI CORDIS JESU approbare; ut Pontificiæ authoritatis suffragio munita, neque variationem deinceps, neque contradictionem patiatur. Nec vero petimus nostro tantum nomine, sed & Monasteriorum nostrorum Anneciensis, Lugdunensis, Gratianopolitani, Parisini, Divionensis, Mussipontani, Vesuntini, Rhotomagensis, Metensis, aliorumque tum e Gallia tum e Lotharingia bene multorum, a quibus perscriptam negotii bene gerendi authoritatem accepimus. Quod si petitioni nostræ annuat SANCTITAS VESTRA, æternum sibi vota precelque nostras devinciet, æternum omnes Visitationis Beatæ Mariæ Sanctimoniales tanti beneficii memores experietur. Ita testantur totius instituti nomine. Pareii Moniaci. 6. Junii. Anno Domini 1725.

SANCTITATIS VESTRÆ,

Humillimæ & obsequentiss. Filiæ & ancillæ,
 S. Anna Elizab. de la Garde Marzac *Præposita Monast.*
 S. Anna Alexia de Marechalle *Consultrix.*
 S. Maria Catharina du Chailloux *Consultrix.*
 S. Joanna Francisca Chalon *Consultrix.*
 S. Maria Helena Coing *Consultrix.*